Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1081
Quelle:
Copyright:

Schyltwurz, ſeldwurcz, liebwurcz, quae in *Bibl. Lugd.* leguntur: *Stuckwurtz, Staldewurtze, Hewwuertze.*

VI. *fol.* 128. p. 2. *Auguſtinus de fide ad petrum.* Potius *Fulgentius Ruſpenſis,* neque integer, ſed, ut habetur in edit. *Opp. Auguſtini Mauriana* T. VI. in *append. Col.* 28. a n. 47. incipiens: *Firmiſſime tene et nullatenus dimitte uel dubites patrem et filium et ſpiritum ſanctum vnum eſſe naturaliter deum* &c. et deſinens in n. 87. verbis: *tamquam hereticum eum abice.* Integer indicatus eſt *Codd.* aliis, ut ex *Indice* liquet.

VII. *fol.* 134. *Incipit pharetra fidei chriſtiane contra Judeos.* Initium: *Acuite ſagittas, implete pharetras* &c. Finis: *ſe a tuis populis confixum fuiſſe oſtendit.* Relata Codd. variis, ut v. g. CCCLXV. ubi *Theobaldo* O. P. adſcribitur.

VIII. *fol.* 182. *Sermo ad Sacerdotes.* Absque Autoris nomine. In illud *Matth.* C. 4. *Acceſſerunt Angeli et miniſtrabant ei.* Initium eſt: *In recitata auctoritate duo declarantur circa ſacerdotes* &c. Finis: *per denarium predicamentorum impleant decalogum preceptorum. Amen.*

IX. *fol.* 185. absque inſcriptione *Tituli Pſalmorum* et *Canticorum biblicorum,* qualiter habentur in calce Bibliorum primitus impreſſorum v. g. *Beatus vir. Iſtum pſalmum fecit david quando conſtitutus rex fuit in bethlahem* &c. De Cantico *Exultavit* ridicule: *Iſtum pſalmum fecit phannuel filia anne que fuit VII annis cum viro ſuo et eo mortuo LXXXIIII vidua usque dum deus noſter importatus fuit* &c.

X. *fol.* 189. alia manu quam praecedentia: *In nomine domini noſtri ihesu chriſti. Allegaciones hic ſcripte ſunt domini lapi de caſtighonocho* (Caſtiglionchio) *de florencia ſolempniſſimi aduocati florentinen. abreuiate per me Antonium de butrio. Allegatio prima de appellationibus.* Initium: *In hac allegatione facit tria uel quatuor dubia* &c. Pluries *Allegationes* hae ſub initia Typographiae prelo ſubpoſitae ſunt, editionemque principem *Neapoli* a *Sixto Rieſſinger Alſata* circa an. 1470. in *fol. max.* curatam Bibliotheca Auguſta ſervat. Vitam Autoris, qui a *Gibellinis* patria ejectus *Romae* 1381. obiit, dedit *Laurentius Mehus Bononiae* 1753. cum Opuſculis ejus quibusdam italicis in 4. *Allegationum* exemplar mſ. ex Bibl. *Riccardiana* excitat *Joh. Lamius* in *Catal.* p. 88. quod rurſus in ſuis *Scriptt. Italis Vol.* II. P. 4. p. 2271. adferens Ill. *Mazzuchellius* titulo adjecit: *Abbatis Monaſterii S. Miniatis,* de quo nihil *Lamius.* Et recte; alius enim eſt *Lapus* noſter ab Abbate illo *Benedictino,* licet olim a *Trithemio* ὁμωνυμίας ergo cum illo confuſus, quod vel ex *Allegatione* 101. patet, qua *Lapus* noſter *Lapum* illum, qui ex familia de *Podio bonizi* erat, in cauſa *Succeſſionis ab inteſtato* defendit. Cavendum item, ne cum nepote